

1519 Sommersemester. 220. Decan Paul Dhum von Magdeburg.

N 25.
C 98.

Decanatus¹⁾ magistri Pauli Thüm Parthenopolytani, artium liberalium professoris et utriusque iuris baccalaurei, collegii principis college. Anno a die Natalis domini supra millesimum quingentesimum decimo nono Sabbato ante Georgi magister Paulus Dhum Parthenopolytanus, utriusque iuris baccalaureus, collegii principis collega, Apr. 16. de natione Sassonica electus est in decanum facultatis artium unanimi et legitimo magistrorum electorum consensu, sub cuius decanatu subscripti fuerunt officiales electi:

Clavigeri mgr. { Henricus Greve ex Gottingen Sasso
Nicolaus Apell ex Kungishoven Bavarus.

Exequutores et visitatores mgr. { Virgilius Wellendorffher ex Saltzburga Bava[rus]
Franciscus Richter ex Henichen Mis[nensis]
Martinus Titz ex Gawr Polonus.

Distributio lectionum publicarum et ordinariarum tam theologice facultatis quam artium habita est, antequam magistratum inirem, ut ex superiori decanatu cognoscere est, quapropter lectores earumdem pretereo²⁾.

* Anno, quo supra, die Parasceus, que erat vigesima secunda Aprilis, convocato consilio facultatis artium sub hoc tenore: „Reverende domine magister, sitis hodie hora duodecima in vaporario communi collegii novi ad audiendum propositionem quorundam dominorum ex consilio universitatis et petitionem dominorum canonicorum ex Wurtzenn, sicut diligitis bonum eiusdem etc.“: ubi tunc dominis canonicis propter iacturam rerum suarum ex incendio acceptam quindecim flor. ad fabricam ecclesie dono dati sunt. Apr. 22.

C 98'. Anno domini, quo supra, die Iovis post Pasche, que erat vigesima octava Aprilis, congregato consilio facultatis sub hoc exemplo: „Reverende domine magister, sitis hodie hora undecima in vaporario tam ad consultandum de futura disputatione ordinanda secundum decretum consilii facultatis atque ad audiendum legi novum complendi modum et ad tractandum quedam alia etc.“: Apr. 28.

Ubi primum decretum est, ut mgr. Gregorius Konitz, si vellet, subiret munus futuri disputatoris ad id tempus, quando doctor Iohannes Eckius cum domino doctore Martino Luther esset disceptaturus super quibusdam articulis indulgentias et potestatem pape concernentibus, et eo casu, quod predictus magister nollet vel non posset, magister Vulfgangus Schyndeler Cubitensis partes future disputationis subiret salvo salario a facultate prestando. *

Anno domini, quo supra, die vigesima octava Aprilis coacto consilio facultatis etiam decretum est unanimi suffragantium consensu: novum modum seu formam complendi per tunc deputatos conceptum et congestum recipiendum esse ad probandum a facultate, quem videre poteris in tabula completionis. || Preterea conclusum est, quod exemplaria librorum Aristotelis in nova translatione, que tum recepta erat, imprimerentur sumptibus et expensis facultatis, * quam minoribus possent, * si per calcographos alia via et ratione haberi non possent. Apr. 28.

* Et post diutinos et magnos labores cum impressoribus habitos, ut suis impensis eadem imprimerent, solum in methaphisicorum et physicorum libris exemplaria impensis facultatis sunt excussa per Vulgangum Monacensem.

¹⁾ Columnenüberschrift fehlt in N. In N große Initiale A in vielfach abgetöntem, weißgerändertem, violetter Blattwerk auf buntergerändertem Goldgrund. ²⁾ C fährt fort quos est videre in conclusis et actis antecessoris mei.